

1439

*Picininus
& Mantua-
nus Prin-
ceps multa
oppida Vi-
centini &
Veronensis
agri Venetis
adimunt.*

fortuna semel inclinata sisti possit, factum est, ut su-
bita oppidanorum deditio ipsi cum Clodianis in ho-
stium potestatem venerint. Leniaço recepto, Picininus
& Gonzaga in Vincentinos ac Patavinos fines irrupe-
re; ad Baldum aliquandiu laboratum: inde, eo ca-
pto, miro victoriae cursu Leonicum cepere, Brendo-
lam, Monticulum, Arcinianum, Montursum cum Dre-
sini valle, & ea quæ Agni dicitur. Montanorum quo-
que nonnulli deditio fecere. Sed hæc fere omnia
Vincentinorum sunt. In Veronensi Suavium & quic-
quid fere ejus terræ reliquum erat, in hostium po-
testatem concessit. Quo tanto rerum successu elatus Pi-
cininus, Veronam castra admovit, quo & Gonzaga
cum omnibus copiis venit. Erantque in hoc statu cir-
ca Athesim res Venetæ, quum ad Benacum aliquanto
meliore eventu est pugnatum. Forojulianus Italus Sa-
lodii cum equitatu non parvo, sed majore omnino
peditatu erat, & Gibellinæ factionis Brixenses cum
eo plurimi: his copiis fretus ille, Materno, Pene-
tra, Turbulisque Venetum dejicere summa ope nite-
batur. Aderat Petrus Advocarus cum Guelphorum mul-
titudine ad prohibendos hostium conatus. Ad Mater-
num itaque (nam id quoque oppidum tum Veneto-
rum fuisse reperio) atroci prælio concursum est. Ze-
nus qui Venetæ classi præerat, tam proximo pugna-
loco naues applicuit, ut navales milites terrestri acie
in hostem dimicarint. Pugna a tertia diei hora ad
vesperam est protracta. Inde dum sensim suos a præ-
lio Italus revocaret, perque angustam semitam lacui
prominenti clivo objectam accurate militem traduce-
ret, Zenus ex ipsis navibus assiduo telorum jaclu ex-
positum hostem & injuriæ opportunum vehementer in-
cessebat. Urgebat interim Advocarus extrellum agmen,
multaque cæde retardabat. Tum hostes ipsi a tergo
& a latere multitudine telorum afflitti, solutis ordi-
nibus, fugam capessunt. Instat viator Venetus, mul-
tos trucidat, multos quoque vivos in suam redigit
pote.

*Ad Bonu-
cum terro-
stri prælio
prospere pu-
gnatur.*